

etc., usque ad desideramus. (Id., *serm. de visione Dei*, tom. II, col. 630.)

Quia incredibile videbatur hominibus quod promittebat Deus etc., usque ad ut sanaret. (Id., in *psalm. cix*, tom. IV, part. II col. 1446 et seq.)

*Cujus vox movit terram*, etc., usque ad *Benim Deus noster ignis consumens est*. Videamus quid etiam Apostolus, etc., usque ad *pars ima perierit*. (Id., *lib. de Civit. Dei*, tom. VII, col. 683 et seq.)

## CAPUT XIII.

*Charitas fraternitatis*, etc., usque ad *tanquam et ipsi in corpore morantes*. Negavit Sara, dicens: Non risi, etc., usque ad *in caelos iissent*. (Id., in *Gen.* tom. III, p. 1, col. 558.)

Quot occurrit Lot angelis, etc., usque ad *recep-erunt angelos*. (Id., *ibid.*, tom. III, p. 1, col. 559.)

Exhibuit itaque hospitalitatem usque ad *quis in eis esset*. (Id., *contra Maximin.*, tom. III, col. 808.)

Et Abraham in tribus, et Lot in duobus viris Dominum agnoscebant. etc., usque ad *receperunt*

angelos. (Id., *lib. de Civit. Dei*, tom. VII, col. 509.)

Dominus mihi adiutor est, etc., usque ad *adiutorio despicientur*. (Id., in *psal. cxviii*, tom. IV, p. II, col. 1496.)

*Doctrinis variis usque ad sed futuram inquirimus*. Leprosi non absurde intelliguntur, etc., usque ad *præceptor abstergit*. (Id., *ibid.*, tom. III, part. II, col. 1354 et seq.)

*Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum confitentium nomini ejus*. Qui timetis Dominum, laudate eum, etc., usque ad *oculi mei salutare tuum*. (Id., *lib. de Grat. Novi Testamenti*, tom. II, col. 357 et seq.)

*Beneficentiæ autem etc., usque ad promeretur Deus*. Sacrificium visibile invisibilis, etc., usque ad *lex pendet, et prophetæ*. (Id., *lib. de Civitate Dei*, tom. VII, col. 282, et seq.)

*Obedite præpositis vestris, etc., usque ad Gratia cum omnibus vobis. Amen*. Audistis, fratres mei, etc., usque ad *Amen*. (Id., *serm. de verb. Evang.* tom. V.)

## AD FLORI DIACONI OPERA APPENDIX

(*Nostro Floro quædam carmina, sub nomine Flori Drepani in Bibliotheca maxima Patrum reeusa, adjudicant nonnulli. Hæc vide, si placet, Patrologiæ tomo LXI, col. 1981.*)

## CAPITULA EX LEGE ET CANONE COLLECTA.

(Apud Acherium, Spicileg.)

Hæc a domno FLORO viro prudenti collecta sunt ex Lege et Canone.

*Caput legum in Canonem receptum de coheritione Judæorum, et de auctoritate ac firmitate judicis et testimonii episcoporum: imperator Theodosius et Valentinianus Cæsar Almaghio viro illustri, præfecto prætorio Galliæ.*

Quia religiosos populos nullis decet superstitionibus depravari, Manichæos omnesque hæreticos vel schismaticos, sive Mathematicos, omnemque sectam catholicis inimicam ab ipso aspectu urbium diversarum exterminari debere præcipimus, ne præsentium quidam criminorum contagione sædentur. Judæis quoque vel paganis causas agendi vel militandi licentiam denegamus, quibus Christianæ legis nolumus servire personas, ne occasione domini sectam venerandæ religionis immutent. Omnes igitur personas erroris infausti jubemus excludi, nisi his emendatio matura subvenerit. Data VII Id. Jul. Aquileisæ. Consule Theodosio Augusto et Valentiniano Cæsare III.

*Constantinus ad Felicem præfectum prætorio.*

Sanximus namque, sicut edicti nostri forma declarat, sententias episcoporum quolibet genere illatas, sine aliqua ætatis discretionem inviolatas semper incorruptasque servari; scilicet pro sanctis semper ac venerabilibus habeatur quidquid episcoporum fuerit sententia terminatum, sive utique, inter minores, sive inter majores ab episcopis fuerit judicatum apud vos, qui judiciorum summam tenetis et apud cæteros omnes iudices ad executionem volumus pertinere; multa enim quæ in iudicio captiosæ præscriptionis vincula promi non patiuntur, investigat et promit

saerosanctæ religionis auctoritas. Omnes utique causæ quæ vel prætorio jure vel civili tractantur, episcoporum sententiis terminatæ perpetuo stabilitatis jure firmantur, nec liceat ulterius retractari negotium quod episcoporum sententia deciderit.

Testimonium etiam ab uno licet episcopo perhibitum omnes iudices indubitanter accipiant, nec alius audiatur, cum testimonium episcopi a qualibet parte fuerit repromissum. Illud est enim veritatis auctoritate firmatum, illud incorruptum, quod a sacrosancto homine conscientia mentis illecebato protulerit. Hoc quod nos edicto salubri aliquando censuimus, hac perpetua lege firmamus.

*Ex concilio Carthaginensi.*

Ipse se indignum Ecclesiæ consortio iudicat, qui de universa Ecclesia male sentiendo sæculare poscit auxilium, cum privatorum Christianorum causas Apostolus ad eum deferri, atque ibi determinari præcipiat.

*Quod nemo clericus ad testimonium dicendum compellatur. Ex concilio Carthaginensi.*

Non liceat clericum in iudicium ad testimonium devocari, cum qui cognitor alias præsens, et nulla ad testimonium dicendum ecclesiastici cujuslibet persona pulsetur.

*Item ibi.*

Quicumque ab imperatore cognitionem iudiciorum publicorum petiverit, honore proprio privetur.

*Imperatores Valentinianus, Theodosius et Arcadius.*

Continua lege sanximus nomen episcoporum vel eorum qui Ecclesie necessitatibus serviunt, ne ad judicia sive ordinariorum sive extraordinariorum judicum pertrahantur. Habent illi iudices suos, nec quidquam eis publicis commune cum legibus.

*Imperator Theodosius et Valentinianus Cæsar.*

Privilegia ecclesiarum vel clericorum omnium prona devotione revocamus scilicet, ut quidquid a divi principibus singuli quique antistites impetrarunt, jugi soliditate servetur, nec cujusquam audeat titillare præsumptio, in quo nos nobis magis præstitum confitemur.

*Quod clerici episcopali audientie reservari jubentur.*

Clericos igitur omnes, quos indiscrete et ad sæculares iudices debere deduci, infaustus præsumptor edixerat, episcopali audientie reservamus. Fas enim non est ut divini numeris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio.

*Imperator Honorius et Theodosius Augg.*

Vacant ecclesie solis quibus bene consciæ sunt divinæ prædicationis officii. Cuncti in orationibus celebrandis horarum omnium momenta consumant. Gaudeant nostra in perpetuum liberalitate munitæ, quarum nos erga cultum pietate et æterna devotione gaudemus.

*Imperator Honorius et Theodosius.*

Episcopos vel presbyteros, diaconos et quoscunque inferioris loci Christianæ legis ministros, ab episcopis solum, non ab alio oportet accusatos audiri.

*Theodosius et Valentinianus Augg.*

Audemus quidem sermone facere sollicite, plus timore capti de sanctis venerabilibus sacerdotibus et secundis sacerdotibus, vel etiam Levitis, et eos cum omni timore nominare, quibus terra caput inclinat.

*Et post pauca.*

Quod in sacerdotibus Ecclesia constat.

*De obnoxiiis vero inquit :*

Si quis ambulaverit cum episcopo, vel cum presbytero, vel etiam cum diacono, sive in platea, sive in agro, sive in quolibet loco, nullo pacto retineri vel obstringi jubemus. Quoniam in sacerdotibus Ecclesia constat.

K. Reges isti Christianissimi, qui tanta reverentia de Ecclesia loquuntur, non frustra audierunt: *Et nunc, reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Servite Domino in timore, et exultate ei in tremore.* (Psal. II, 11, 12.) Mira autem et vera sententia, quod ecclesia non tam in lapidibus quam in sacerdotibus constat. Et ideo juste nunc et religiose sancitur, ut reverentia quæ altari et templo exhibetur, eadem sacerdotibus exhibeatur; et sicut hoc est, ut juxta templum vel altare ibi nemo reum et crimini vel etiam morti obnoxium contingat; ita neque a latere episcopi, presbyteri et diaconi quolibet loco abripere vel contingere audeat.

*Item ibi ex concilio Carthaginensi qualiter episcopus presbyter et diaconus purgari debeant.*

Si quis episcopus, quod non optamus, in reatum aliquem incurrerit, et fuerit ei nimia necessitas non posse plurimos congregare, ne in crimine remaneat, a duodecim episcopis, et presbyter a sex episcopis cum proprio suo episcopo audiatur, et diaconus a tribus.

*Item tibi.*

Quisquis episcoporum, presbyterorum et diaco-

norum seu clericorum, cui in ecclesia fuerit crimen institutum, vel civilis causa fuerit commota, si relicto ecclesiastico iudicio publicis iudiciis purgari voluerit, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, et hoc in criminali: in civili vero perdat quod evicit, si locum suum obtinere maluerit.

*Ex epistola episcopi ad imperatorem de baptizatis Hebræis.*

Postquam divinæ gratiæ auxilio et vestræ pietatis patrocinio, juxta auctoritatem divinæ legis et ecclesiasticorum Patrum constituta pro Judæorum illuminatione cœpimus laborare adjuvante eadem divina gratia conversi sunt plures ex eis ad Dominum, tam viri quam femine, majores natu et juvenes, adolescentes et pueri, et cum eis etiam seorsum aliqui ex servis et ancillis. Cumque hic numerus cœpisset multiplicari, et gaudium matris Ecclesie de salute conversorum in dies augeri, cœperunt conversi invitare aversos ad eam quam cognoverant veritatem, maxime pueros et innocentes, eo quod cæteri magis existant duri utpote inveterati dierum malorum. Cœperunt ergo pueri et adolescentuli quod videbant in istis, desiderare fieri in seipsis, et maxime ut arbitrator, quia per singula Sabbata a fratribus et sacerdotibus nostris in synagoga verbum Domini prædicatur. Quod cum impii sensissent parentes, cœperunt eos furtim et maxime noctibus ab inferiores provinciæ partes, id est Arelatem urbem, dirigere quo magna eorum multitudo tam ex Cabilonense quam ex Maticensi et Viennensi civitatibus translata est. Quod cum mihi ab eisdem qui crediderant Judæis dolenter nuntiatum fuisset, jussi eos qui residui erant, absque læsione vel damno aliquo in præsentiam meam sub conspectu Ecclesie deduci, ut si qui inter eos essent qui nostra desiderarent, pateret eis janua matris Ecclesie, ereptis de manibus impiorum. Statim igitur, mirabile dictu! sex pueruli priusquam ab aliquo exhortari cœpissent, sacerdotum nostrorum pedibus provoluti profitebantur se velle baptizari, atque ut ad me perducerentur orabant. Cumque perducti essent, similiter supplicantes et rogantes omnium gratulatione suscepti sunt. Post vero et alii numero quadraginta septem qui idem professi sunt, quos omnes sub conspectu Dei et Ecclesie bonis et fidelibus fratribus tradidi instruendos, et in solemnitate Paschali generalis lavacri celebritate baptizandos et nutriendos Domino. Reliquos vero, in quibus nihil boni desiderii vel petitionis agnovi, restitui intactos parentibus suis.

Vestræ et bonitatis, vestræ orthodoxæ Christianitatis et pietatis, quatenus et isti absque interpellatione atque inquietudine malignorum tranquille in filios Ecclesie educuntur, et illi qui crudeliter ne salvi fierent ab impiis Arelatem translati sunt, per episcopum ejusdem Ecclesie a vestra serenitate diligenter admonitum, et ad divinum opus exercendum alacriter instigatum similis aliquid gratiæ auxiliante Domino consequantur. Si enim magnæ eleemosynæ opus est in causis temporalibus aliquem vi oppressum eripere, aut ex bestie alicujus faucibus rapere, quanto major de illo merces speranda est, qui vel ab impiis hominibus, vel a malignis spiritibus ne ad Deum venire possit opprimatur, sicut potestas et facultas congrua datur, valuerit ad salutem lucrari. Testatur hoc apostolus Jacobus exhortans et dicens: *Si quis autem erraverit a veritate, et converterit quis eum scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operit multitudinem peccatorum* (Jac. v, 19, 20).